

Genio indulsi in iis quae sequuntur schedulis Lessingi librum, qui est „de limitibus artibus et fingendi et poëticae circumscriptis“ in latinum vertens sermonem. Primum enim nullus hoc me iam puerum magis delectabat liber nullusque dignior videbatur, qui in omnium transferretur nationum linguas. Deinde latini sermonis elegancia, qualis est in Ciceronis libris, adeo iam pueri animum commovebat, ut nihil magis mihi videretur spectandum, quam ut eam exercitatione assidua quodammodo possem imitari.

Quae autem genio indulgendi causa perscripsi, nunquam in medium ausus essem proferre, nisi fructum quendam inde percipi posse putassem. Qui qualis esse possit, paucis iam liceat explicare.

Omnibus, quibus in gymnasiis nostris utimur disciplinis nihil aliud spectamus nisi ut puerorum adolescentiumque animos et ratione et oratione ita excolamus, ut et ad altiora studia sapientes et ad fandum eloquentes fiant. Quod nulla ratione melius nos assequi posse putamus quam linguarum litterarumque studio. Litteris enim et lingua e tenebris erumpit quod et eruditissima omnium aetatum nationumque ingenia unquam excogitabant et variae nationes aetatesque sentiebant, volebant, agebant. Jam si ceteri ludi ne ipsi quidem hanc optimam viam negligentes et nostrae et aliarum nostrae aetatis linguarum studio se dedunt, gymnasia nostra neque illius neque harum studium neglegunt. Non enim ignoramus, vernaculi sermonis studio Germaniae patriae nostrae amorem excitari, moresque et institutiones nostri populi adolescentium animis mandari. Quid autem magis cupere et desiderare possumus, quam ut puerorum adolescentiumque animos pietate caritateque patriae dilectae imbuamus. Deinde adolescentes aliarum nostrae aetatis linguarum studio ex arctioribus nostri populi finibus egredientes, et quid aliae nostrae aetatis nationes cogitaverint, senserint, voluerint cognoscentes conspectum tandem usque ad extremum huius aetatis orbem ferre consuescunt. His autem sane non spernendis ceterorum ludorum studiis non contenta altiora petunt gymnasia nostra, conspectumque adolescentium nostrorum non in nostrae aetatis, ne dicam nostri populi, limitibus continent, sed longius eum ferunt usque ad antiquissimorum diuque iam extinctorum populorum remotissima saecula, et quid Persae, quid Hebraei, imprimis autem quid Romani, quid Graeci et cogitaverint et egerint aperiunt, neque quid posterius de iis senserint ac iudicaverint, sed quid ipsi aut dixerint aut scripserint docent

fontes ipsos recludentia. Jam si sunt qui ingeniis hebetibus et obtusis querantur, quod inutilibus his et obsoletis studiis adolescentium nostrorum animi vexentur, nobis pusillorum illorum hominum iudicium despicientibus persuasum est, non eorum animos satis exultos esse habendos, qui aut nostri populi aut nostrae aetatis studia et intentiones cognoverint, sed qui omnium aetatum et vel remotissimorum temporum populorumque mores et instituta animo comprehenderint, neque hominis vere ingeniosi animum requiescere posse, nisi remotissima antiquitatis studia persecutus sit. Quae quo magis differunt ab nostrae aetatis nostrique populi similitudine, eo magis animos adolescentium extendunt, laxant, amplificant.

Quod si grammatica et latinae et graecae linguae studia ipsa multum iam dilatant puerorum nostrorum conspectum, formam atque speciem mentis humanae ab nostratium formis multo diversam cognoscentium, si antiquorum scriptorum libri suum quisque tribuunt ad adolescentium nostrorum scientiam augendam, summus tamen antiquorum studiorum fructus in eo conspicitur, ut mentes adolescentium totae se immergant in antiquorum populorum cogitandi sentiendique rationem. Quam quo melius ac diligentius animis sunt complexi, eo facilius nostratium mores studia institutaque diiudicabunt ac recensebunt. Tantum igitur abest, ut antiquitatis studia nos ab nostrae aetatis cognitione avertant, ut nulla re melius ad ea quae nostrae aetati, nostroque populo conducunt, iudicanda praeparemur. Antiquorum autem mentem animumque optime cognoscent adolescentes nostri comparatione facta nostrae cum antiquorum populorum linguis. Quod non ignorantes ii, qui antiquitatis studia in gymnasiis nostris dirigunt, id primum spectant, ut adolescentes antiquorum scriptorum libros in nostrum sermonem bene convertere discant. Quod quo purius fit et elegantius eo melius discipuli quantum differat antiquorum ingenium ab nostro cognoscent, eo melius, quale hoc sit, quale illud intelligent. Caveant igitur socii nostri et collegae, ne barbaram eam vertendi consuetudinem admittant, qua vernaculo sermone Graecorum et Romanorum sentiendi cogitandique rationes apparent, nihilque antiquius habeant, quam ut versio vernacula sit et emendata et vere germanica. Multo autem plus quam scriptorum antiquorum versio in nostrum sermonem ad huius antiquarumque litterarum naturam diversam pernoscendam et ad animos adolescentium, quantum discrepent inter se nostratium et antiquorum ingenia, diiudicando excolendos tribuit versio nostrorum scriptorum in antiquum sermonem. Ea demum exercitatione id, quod propositum est, vere assequimur, ut adolescentium nostrorum mentes totas in antiquorum populorum cogitandi sentiendique rationem immergamus. Ea demum exercitatione, id quod gravissimum est, fit, ut adolescentes non modo latine scribere, sed in vernaculo etiam lingua bene scribere, optime discant. Non enim id solum cavendum est, ne grammatica quaedam admittantur menda, de quibus idem sentio, quod Spalding, qui haec in schola minus graviter tulit, dummodo notata paulatim evanescerent. Gravius est, quod ei, qui ex nostra lingua in la-

tinam est translaturus, maxima perspicuitate id quod est vertendum, cogitandum est, quod sententiarum ad numerum conclusio clarissimorum scriptorum cognoscenda est, quod singula enunciata maxima cum arte sunt coniungenda, quod maxima diligentia opus est in translationum usu. Quibus rebus omnibus fit, ut qui latine scribit, disserendi subtilitate ita exerceatur, ut omnino bene scribere optime discat.

Omnium autem scriptorum nostrorum nullus aptior est, cuius scripta in latinum sermonem vertantur, quam Lessing, qui ad antiquorum perspicuitatem et disserendi subtilitatem omnium proxime accedit. His rebus commotus sum, ut plures iam per annos cum discipulis meis maxime iam exercitatis eum librum, qui est „de limitibus artibus et fingendi et poëticae circumscriptis“, in latinum sermonem verterem. Quorum studium ad hanc rem collatum neque unquam cessans, quam apta ea sit exercitatio ad animos adolescentium alliciendos, demonstrabat.

Jam si fructum horum studiorum in iis quae sequuntur schedulis collegarum meorum iudicio propono, primum spero fore ut plures ad huiusmodi exercitia alliciantur, optima ea esse ad mentes animosque discipulorum excolenda intellegentes. Deinde discipulis ipsis vires exercitandi occasionem sum oblaturus, in qua non egeant praeceptore duce. Denique ipsi mihi summae erit voluptas, si ea quae minus bene verterim, a collegis magis exercitatis corrigantur et emendentur.



Laocoon

sive

de limitibus artibus et fingendi et poëticae circumscriptis.

Accedunt variae quaedam de antiquarum artium historia annotationes.

Particula prior

1766.

Τλη και τροποις μιμησεως διαφεροουσι

Πλουτ. ποτ. Αθ. κατα Π. η κατα Σ. ενδ.

Prooemium.

Comparationem inter fingendi artem et poëticam primus is instituit, qui acri iudicio praeditus et utraque arte se similiter commotum sentiens intellexeret, ambas artes, quoniam utraque nobis res absentes ut praesentes, fictas ut veras proponeret, simulando nos delectare. Hunc qui secutus est causae quae essent huius delectationis interiores requirens detexit, in utraque arte eius fontem esse eundem. Pulcrum enim quid esset pulcrorum corporum comparatione facta communibus quibusdam praeceptis definiri, quae ad plures res pertinerent, ad actiones cogitationesque aequae atque ad formas. Exstitit deinde qui, quid valerent illa praecepta ac quomodo essent distributa, secum reputans animadverteret, quoniam alia pingendi arti, poëticae alia magis essent adaptata, haec pictori per poëtam, illa poëtae per pictorem illustrari.

Quorum primus ille erat amator artium, quem secutus est philosophus, tertius qui exstitit existimator erat artium.

E quibus illi quod et senserant et concluderant non facile poterant detorquere. Contra existimator quod observat, id nisi ad singula recte relatam nihil valet, ac quoniam acuti multo plures quam ingeniosi erant existimatores, mirandum sane esset, si in relatione illa ea ubique essent usi prudentia, ut neutrius artis natura turbaretur.

Apellem sane quidem et Protogenem, si in deperditis de arte pingendi libris praecepta huius artis regulis poëtarum auctoritate constitutis confirmaverunt confirmataque illustrarunt, certo est putandum, ea moderatione et diligentia usos esse, qua etiam nunc ab Aristotele, Cicerone, Horatio, Quinctiliano in operibus eorum principia et observationes pictorum ad eloquentiam artemque poëticam relata videmus. Ea enim maxime praecipua veterum virtus est nulla in re modum excedere.

Quos hac aetate nos saepius multo superare putavimus, semitas eorum in vias mutantes viasque ipsas breviores et securiores in semitas contrahentes, quales per deserta ducunt.

Quod acute proposuit Graecorum Voltarius, picturas pro mutis habendas esse carminibus, carmina loquentibus similia esse picturis, magistrorum quidem in libellis non erat perscriptum, sed ex numero facete dictorum est, qualia sunt plura apud Simonidem. In quibus quod verum est tam manifeste apparet, ut quod adiectum est incerti et falsi negligendum esse putemus.

Neque tamen veteres id neglexerunt, sed illud Simonidis ad vim effectumque utriusque artis concludentes id semper tenebant, eas, quamvis plane idem efficerent, tamen et rebus, quas fingerent, et ratione qua imitarentur, diversas esse.

Huius autem aetatis existimatores ex illa similitudine artium, quasi eae nulla in re discrepant, res absurdissimas concientes modo artem poëticam angustissimis picturarum finibus circumcludebant, modo artis pingendi fines aequae dilatabant, atque artis poëticae. Quod huic, illi quoque licere, quod in hac, in illa quoque aut placere aut displicere putant. Qua opinione ducti fidentissimis animis levissime iudicant, si quando pictor et poëta eadem proponentes discrepant, id reprehendentes et hunc illumve, prout aut arte poëtica aut pingendi arte magis delectantur, vituperantes.

Quid quod hoc eorum iudicium perversum partem artificum ipsorum seducebat, cum in arte poëtica describendi, in pingendi arte transferendi studium excitaret iis, qui nescientes, quid pingi et posset et oporteret, illam loquentem picturam, hanc mutum carmen esse vellent, non pensitantes, quanta esset notionum sola mente percipiendarum multitudo, quas illa nisi naturam suam deserere et ad libidinem perducere vellet, fingere non posset.

Illi iudicio perverso atque inani repugnare nobis imprimis est propositum in his commentationibus quae casu fortuito magis pro studiorum nostrorum ordine, quam explicata quadam ex principiis ratione congestae collectioni rerum dispersarum magis similes videntur, quam libro.

Nec tamen ea ipsa spernenda videtur. Via enim ac ratione scriptis libris abundant Germani, quoniam prae omnibus terrarum orbis nationibus id sumus edocti, definitionibus quibusdam positis optimo ordine quaecumque velimus deducere.

Baumgarten quidem maximam se partem exemplorum, quae profert in libris suis de pulcro venustoque scriptis, ex Gesneri thesauro depromsisse fatetur. Quare si disputatio mea minus concisa erit, quam Baumgarteni, exempla tamen a me prolata fontem magis sapient.

Jam cum a Laocoontis statua orsus saepius ad eam recurram, nomen eius titulo admiscui. Sunt autem quae a proposito digrediens de variis artium quae erant apud veteres, historiae locis nulla alia de causa addiderim, nisi quod nunquam habeo, quo ea melius proferam.

Illud autem velim teneatis, me ut picturae nomine omnes fingendi artes comprehenderim, ita cum de poëtica loquar arte, ne ceteras quidem artes, quarum imitatio temporis decursu procedat, prorsus seclusisse.

I.

Communem ac maxime praecipuam omnium, quae Graeci et in pingendi et in sculpendi arte protulerunt opera perfectissima, notam Winkelmann positam esse putat in nobili simplicitate et in tranquilli animi magnitudine, quae cernatur in status habitusque elegantia. „Ut profundum mare, inquit, semper tranquillum est, quamquam summum maxime saevit, „ita statuarum habitus apud Graecos vel in maximis perturbationibus magnum ostendit „gravemque animum.“

„Is quidem in Laocoontis vultu cognoscitur, quamvis doloribus maxime vexati, ac non „in solo vultu. Qui dolor in musculis nervisque corporis cernitur, quem, vultu ceterisque „corporis partibus nondum conspectis, abdomen solum doloribus contractum intuentes ipsi „sentire videmur, is non vultus saevitia, non habitus immanitate ostenditur. Non enim „sculptor Laocoontem facit atrociter clamantem, qualis est apud Vergilium, quod apparet „ex ore modice patefacto, sed anxie gementem, qualis apud Sadoletum, dolore corporis et „magnitudine animi per omnia statucae membra pari modo distributis et accurate perpensis. „Vexatur quidem Philocteta, sed vexatur ut Philocteta Sophocleus, cuius miseria animos ita „commovet, ut pari constantia ad eam perferendam, atque magnus ille homo esse cupiamus.“

„Talem autem qui fingit animi magnitudinem multo praestat eum, qui imitatur naturae „pulcritudinem, cum artificii ipsi non possit non inesse animi praestantia, quam in lapide „incolpsit. Graecia autem habebat artifices, qui iidem erant philosophi, et plures Metro-

„doros. Quorum sapientia artem adiuvens statuis, quas fingebat, non mediocrem inspirabat „spiritum.“

In quibus id, a quo orditur Winkelmann, rectissime se habet, dolorem in vultu Laocoontis ea saevitia non exprimi, quam pro vehementia eius exspectare possimus: Neque negari potest ea ipsa in re, in qua existimator mediocriter exercitatus fortasse artificem naturae inferiorem summum doloris affectum non assecutum esse iudicaverit, sapientiam eius maxime elucere.

Sola de causa, quam Winkelmann ad hanc sententiam probandam affert, et de vi ac potestate praecepti, quod ex hac causa supposita deducit, dissentire audio.

Ac primum quidem me offendit, quod hac in re Vergilium reprehendit, deinde quod Laocoontem comparat cum Philocteta. Inde exordiar et quae sentio eodem ordine explicabo, quo a me animo sunt concepta.

„Laocoon, inquit, vexatur ut Philocteta Sophocleus.“ Jam quomodo hic vexetur, si quaerimus, longe aliter nos, atque Winkelmannum, eius doloribus commoveri fatemur. Quibus enim questibus, quo clamore, quibus saevis exsecrationibus castra Graecorum ita implebat, ut omnia sacra, caerimonias sanctas turbans, iu deserta insula exponeretur, ea pari vehementia tota hac insula personabant. Quot querimonias ille edidit, quot effudit eiulatus, quot desperationis voces emisit! ea poëta imitans totum theatrum personabat. — Quamvis enim ab iis, qui, cum tertium huius tragoediae actum multo brevioribus ceteris esse viderent, inde veteres aequabilem actuum ambitum minus curasse conicerent, non dissentiam, alio tamen id confirmare malim exemplo, atque hac. Miserabiles enim vociferationes et eiulatus, exclamationes illae saepius repetitae, quales sunt, *ἀ, ἀ, φευ, ἀταρται, ὦ μοι, μοι, παπα, παπα*, quibus magnus versus numerus expletur, eae latius tractae pluribusque intervallis pronuntiatae, quam quibus continua oratio pronuntiari solet, hunc actum, cum fabula docebatur, non minus extensum exhibebant, quam ceteros, quamquam scriptus legentibus multo brevior videtur, quam auditoribus in theatro ipso.

Natura fert, ut dolore corporis qui vexatur, clamorem tollat, velut Homeri bellatores saucii haud raro clamantes concidunt; Venus gladio puncta magna voce clamat, non ut hoc clamore effeminatam se exhibeat voluptatis deam, sed ut suum tribuat naturae doloris. Nam saevus ipse Mars, Diomedis hasta percussus, tam horribiliter clamat, quam decem millia saevientium bellatorum una vix possunt, ut uterque exercitus exterreatur.

Homeri heroes quantumvis naturam humanam superant, tamen in doloribus iniuriisque perferendis et in exprimendis illis clamando, lacrimando, conviciandoque ei sunt subditi, ut res eorum gestae superioris, affectus vere humanae sint naturae.

Non ignoro quidem, nos delicatos homines posterae magisque cultae aetatis ori oculisque nostris melius moderari. Nam et urbanitatem et decorem clamores et lacrimae dedecere

videntur, atque ut fortis animus primis illis rudibusque aetatibus conspiciebatur in rebus gerendis, ita his temporibus in doloribus perferendis. Quamquam ipsi maiores nostri in his magis praecellebant, quam in illis. Qui tamen barbari fuerunt. Omnem enim animi dolorem suppressere, mortiferum vulnus rectis oculis intueri, viperorum morsibus ictum ridentem mori, neque peccata sua neque amicissimi hominis iacturam deplorare Germanorum antiquorum ad septentrionem versorum virtutis est, velut Palnotoko Imsburgensibus praecepit, ne quidquam timerent, neve timoris vocabulo uterentur.

A quibus prorsus discrepant Graeci. Neque enim molliore carent animo nec timore; dolores exprimunt et aegritudinem; ut nulla se affectos negant infirmitate humana, ita nulla a gloriae via officiisque exsequendis retinentur. Ratione enim ac consilio ducti faciunt, quod barbari feritate duritiaeque, virtusque eorum heroica scintillis similis est in silice occultis, quae nulla vi excitatae latent nec lapidi claritatem aut frigus auferunt, cum barbarorum virtus flamma sit omnia devastans, quae semper saeviens omnes alias eorum virtutes si minus tollit, at obscurat. — Quod si apud Homerum Troiani saevo cum clamore, tranquilla constantia Graeci in pugnam exeunt, interpretes sentiunt, hac re illos barbaros, hos cultos politosque exhiberi. Quos eosdem miror alio loco similiter oppositos eorum mores non sensisse. Nam cum hostiles exercitus induciis factis in cremandis mortuis essent occupati, qua in re multae effundebantur lacrimae, Priamus Troianos vetat lacrimare, quia, inquit Dacieria, timet ne lacrimis nimis effementur crastinoque die minore pugnent animo. At cur Priamus solus hoc timet? cur ne Agamemnon quidem idem suos vetat? Altius repetenda est causa, qua ducitur poeta. Id enim demonstraturus est, solos Graecos, quae essent humanitate, una lacrimare fortesque esse posse, cum inculti Troiani, ut fortes sint, humanitatem non exuere non possint. Quare alio loco prudentem sapientis Nestoris filium dicentem facit notum illud: *Νεμεσσωμαι γε μεν οὐδεν κλαειν.*

Duae sunt inter paucas, quae ex antiquitate ad nos pervenerunt, tragoedias fabulae, in quibus corporis dolores non minima sunt calamitatis pars, qua is qui primas agit afficitur. Praeter Philoctetam Herculem dico morientem, quem et ipsum Sophocles gementem facit, eiulantem, flentem, clamantem. Hac autem aetate Philoctetam eiulantem vel Herculem clamantem in scenam producere, ridiculum et minime ferendum videbatur elegantiae eius, quae nobis finitima est, gentis, decori magistrae. Cuius quidem qui novissimus est poeta Philoctetae fabulam docere ausus Philoctetam produxit vero dissimillimum.

Ipsa Laocoontis fabula inter deperditas Sophoclis nominatur tragoedias. Quam utinam fatum nobis reliquisset. Quae quomodo a poeta sit tractata quamvis ex iis, quae grammatici quidam veteres de ea tradiderunt, intelligi non liceat, id tamen mihi persuasum est, Laocoontem eius non magis stoicorum praecepta secutum esse, quam et Philoctetam et Herculem. Quae praecepta scena sunt alienissima, cum misericordia in animis nostris non

moveatur nisi doloribus, quibus eos, qui primas agunt, vexatos videmus. Quos si magnis animis miserias ferre videmus, ea animi magnitudo admirationem quidem excitabit, sed admiratione tantum abest, ut animi incendantur, ut obstupefacti nihil agamus, omnique ardore restincto ne claram quidem rei opinionem mente concipiamus.

Quibus expositis quid consequatur, demonstrabo. Si verum est, quod veteres Graeci imprimis iudicabant, clamorem corporis doloribus expressum non dedecere virum magnanimum, clamorem imitari non eo prohibitus est artifex, quod exprimere volebat animi magnitudinem; aliam apparet causam esse, cur a poeta aemulo, qui clamorem consulto atque data opera expressit, discrepaverit.

II.

Sive fictum est sive verum, amorem prima pericula in arte fingendi fecisse, id constat principes artis nunquam eo inspirari desiisse. Nam ut apud nos pingendi ars ea habetur, quae nullis limitibus circumscripta figuras in planitie imitetur, ita contra Graecorum sapientia eam arctioribus finibus comprehendens continebat in pulcrorum corporum imitatione. Quorum artifices nihil fingeant nisi quod pulcrum erat; humiles autem res, inferiorisque generis ne pulchras quidem fingeant nisi occasione quadam data aut exercitationis aut animi reficiendi causa. Rerum ipsarum, quas fingeant, perfecta pulcritudine delectare studebant, cum qua erant magnitudine animi voluptatem ipsam vel ex perfecta imaginis similitudine vel ex admiratione artis perceptam minorem haberent, quam quae spectatorum iudicio satisfacere posset. Nihil enim iis in arte sua magis placebat, nihil praestantius videbatur ipso eo, quod ars quaerit atque expetit.

„Quis te pinget, quem aspicere nemo velit,“ inquit homini maxime deformi vetus quidam epigrammatum poeta. Apud nos non desunt qui dicerent: Te quamvis deformissimum pingam. Nam si minus deformitatem tuam, at imaginem meam inspicere cupient, non quod deformem te adumbrat, sed quod artem admirantur, quae tantam deformitatem fingere potuerit.

Quamquam iactatio vilis illius artis, quae nihil curat rerum, quas profert, ipsarum praestantiam, hominum naturae ita est insita, ut fieri non possit, quin apud Graecos Pausones exstiterint et Pyreici. Exstiterunt illi, sed quo par erat severo reicebantur iudicio. Pauson enim, qui ne vulgaris naturae quidem venustas formas aequans quo erat humili iudicio vitia et turpitudines humanae formae summo cum ardore fingeat, abiectissima egestate utebatur. Pyreicus autem, qui tonstrinas, sordidas tabernas, asinos, olera eadem, qua batavi pictores, industria pingebat, quasi eae res natura delectarent ac raro conspicerentur,

cognomen obsceni pictoris accepit, quamvis libidinosi homines picturas eius multa pecunia ementes vilitatem eorum ficto pretio dissimulare studerent.

Ac ne magistratus quidem auctoritate sua indignum habebant cavere, ne artifices suos excederent fines. Nota enim est Thebanorum illa lex, quae artifice imperabat, ut res ad venustatem, non ad deformitatem imitaretur. Quae lex non ut cum plerique tum Junius ipse iudicant, ad eos pertinet, qui non satis in ea arte versati sint, sed malam illam artem condemnabat similitudinem exaggerata rei turpitudine assequendi i. e. depravatam imitationem.

Eadem elegantia brabeutae Graeci, Olympiorum iudices legem illam instituerant, qua praescriptum est, ut cuique Olympionicae statua, nulli autem, nisi ter victori, statua iconica poneretur. Nolebant enim ut nimis magnus mediocrium imaginum numerus existeret. Nam quamvis ipsae iconicae statuae ad perfectam quandam speciem et formam possint revocari, tamen ad similitudinem sunt exprimendae, ut species sint atque forma singulorum hominum, non generis humani.

Nobis sane ridiculum videtur, quod ipsae artes apud veteres legum civilium potestati subiectae fuerint. Non omnia autem ridicula sunt, quae nobis ridicula videntur. Literas sane non licet legibus coërcere. Nam literarum est explorare, quid verum sit. Veri autem cognitione animus humanus carere non potest, tyrannorumque est id finibus circumscribere, quo animus non potest carere. Artes contra voluptati inserviunt, qua possumus carere. Negari igitur non potest, legislatoris esse constituere, quo genere quoque modo voluptatis frui liceat.

Ac fingentes imprimis artes, praeterquam quod fieri non potest, quin ad formanda nationum ingenia aliquantum tribuant, singularem quendam habere possunt effectum morum praefecturae sine dubio subiciendum. Ut enim pulcri homines statuas pulcras fingunt, ita hae ipsae ad illos formandos contribuunt neque negari potest apud veteres pulcras statuas ad hominum venustatem augendam attribuisse, cum hac aetate tenellarum matrum cogitatio nisi monstrorum imagines nihil concipere videtur.

Quae cum ita sint in fabulis quibusdam antiquis, quae ut fictae solent reprobari, veri quid inesse videtur. Aristomenis enim, Aristodamantis, Alexandri M., Scipionis, Augusti, Galerii matres, cum gravidae essent, in somniis sibi visae sunt rem habuisse cum serpente. Serpens autem deorum erat signum, pulchraeque statuae et imagines Bacchi, Apollinis, Mercurii, Herculis raro serpente carebant. Quo factum est, ut somnium omnia miscens in animo honestarum mulierum, quae oculos interdum dei statua delectaverant, serpentis imaginem excitaret. Quam si sequimur interpretandi rationem, somnium verum habere possumus, quamvis interpretationem superbia filiorum et adulatorum insolentia excogitatum reprobemus. Nam sine causa sane non poterat esse, quod adultera cogitatio nihil concipiebat nisi serpentem.

Sed longius digressus sum; id unum constituere volui, apud veteres in fingentibus artibus omnia ad venustatem, quae summa esset norma, directa esse.

Quod si constat, sequitur ut cetera omnia, quae ad fingentes artes pertinere possint, abiciantur, si cum norma illa dissentiant, sin consentiant ei subiciantur.

Jam in vultus argutiis habituque corporis consistam. Sunt autem quaedam animi perturbationes adeo vehementes, quae vultu foedissime distorto exprimantur, totumque corpus adeo disturbent, ut omnes venustatis lineae, quibus tranquillum corpus circumscribitur, dispareant. Quas veteres artifices vel omnino evitabant, vel ita mitigabant, ut venustate non prorsus carerent. Neque enim aut furore aut desperatione ullum deformabatur artificium, neque unquam Furias ab iis esse fictas iure mihi videor contendere.

Jram deinde in severitatem vertebant, ut apud poëtam iratus Jupiter, severus apud artificem fulmina iacularetur.

Lamentatio denique revocabatur ad tristitiam. Quod ubi locum non habuit, ubi lamentatio non minus affectus vim infirmasset, quam picturae pulcritudinem deformasset, quid tum Timanthen fecisse censetis? Nota est, qua ille Iphigeniae immolationem pinxit, pictura, in qua cum omnibus praesentibus, qui quemque decebat, tristitiae gradum tribuisset, patris os, qui summam tristitiam exprimere debebat, velavit. De qua pictura multa satis probabilia sunt dicta. Sunt enim, qui dicant, eum cum tristitiae gradus omnes consumpsisset, patrem tristiozem posse pingi desperasse. Alii eum putaut patrii illius maeroris acerbiter arte exprimi non posse confessum esse. Equidem hac in re neque artificis neque artis infirmitatem video. Quo enim maior affectus, eo acriora oris lineamenta, maximi acerrima sunt, quibus nulla facilius arte exprimuntur. Timanthes vero non ignorabat, quos arti Gratiae circumscripsissent fines; non ignorabat, lamentationem, quae Agamemnonis esset, nisi deformissimis oris depravationibus exprimi non posse. Affectum igitur usque eo exprimebat, quoad pulcritudini dignitatisque non repugnabat. Deformitatem autem evitare ac diminuere studebat. Quod cum ad rem bene exprimendam non liceret quid ei reliquum fuisse putas, nisi ut illam velaret. Quod pingere non licuit, id voluit divinari. Denique quod patris vultum velavit, ne pulcritudinem laederet, id exemplo est, qui fieri possit, ut artifex affectu summo depicto non artis fines transgrediatur, sed affectum pulcritudinis praeceptis, in quibus omnis ars continetur, subiciat.

Quod si ad Laocoontis statuam referimus, habemus iam quam quaerimus causam. Artifex enim corporis dolores expressurus pulcritudinem laedere volebat. Jam cum summus dolor pulcritudinem non posset non depravare, diminuendus erat, lamentatio lenienda et ad gemitum erat redigenda, non quod lamentatio illiberalis sit animi, sed quod oris lineamenta turpiter depravat. Finge enim animo Laocoontem hiantem, iudicabis, quem habeat effectum, finge clamantem, idem videbis. Quae enim imago misericordiam excitabat, quia et pulcra

erat et dolorem exprimebat, iam deformis est facta et turpis, a qua libenter oculos avertes, quia dolores conspecti animum non suaviter commovent, neque haec iniucunda animi commotio pulcritudine dolentis in dulcem misericordiam verti potest.

Ut enim omittam, quam contra naturam turpiterque ceterae faciei partes ore hiante distorqueantur et depraventur, rictus ipse in picturis macula, in sculpturis cavo quodam fingitur, quo molestissime afficimur. Nec acre erat Montfauconi iudicium, cum veteris cuiusdam et barbati hominis caput inventum ore hiante Jovis oracula fundentis esse putaret. Num enim putas a deo quae futura sint aperiente clamorem tolli an placidis quibusdam oris lineamentis dicta eius suspecta reddi? Neque Valerium probo, cum dicat, Aiace in ea, quam commemoravimus, Timanthis pictura clamavisse. Multo enim mediocriores artifices ipsis iis temporibus, quibus ars iam labebatur, ne saevissimos quidem barbaros victoris gladio percussos ac terrore mortisque angore excitatos ita clamantes finxerunt, ut rictum diducerent.

Summum autem corporis dolorem ad affectum minus vehementem esse mitigatum pluribus veteribus artificiis conspicuum est. Velut Hercules doloribus vexatus, qualem pallio venenato indutum vetus quidam finxit artifex nescio quis, adeo non similis erat Sophocleo tam vehementer clamanti, ut Locrensiump rupes Euboeaeque promontorium resonarent, ut tristis potius quam saevus esse videretur. Philocteta deinde Pythagorae Leontini adeo spectantium animos movebat, ut dolorem sentire viderentur, quod vel minimum foeditatis lineamentum prohibuisset. Quaeret autem fortasse quispiam, unde ab hoc artifice Philoctetae statuam factum esse constet. Id autem ex loco quodam Pliniano appart adeo corrupto vel mutilato, ut mirer, quod non ab aliis iam sit emendatus.

III.

Quamquam iam antea diximus, artem his temporibus multo minus artis circumscribi finibus, Cui universam, quae cerni possit, naturam praeponunt imitandam, in qua pulcrarum rerum magna sit paucitas, ut imprimis ad veritatem summosque affectus exprimendos sit directa. Natura vero ipsa cum pulcritudinem maiori, quod persequatur, proposito facile condonet, ne ab artifice quidem non posse eam posthaberi maiori illi proposito neque magis ei indulgeri quam veritas affectusque permittant. His enim fieri, ut res, quae natura deformissimae sint, in arte pulchrae esse videantur.

Quae utrum vera sint an falsa postea iudicabimus. Nonne autem putas alias quasdam esse causas, quibus, quomodocunque illa se habeant, artifex moneatur, ne modum excedat in affectibus exprimendis, neve hos unquam ex summo rei discrimine petat.

Quas quidem facile puto peti posse a brevi temporis momento, in quod quaecunque ars imitatur genere quo utitur materiae inclusa tenentur.

Quod si cum artifex naturae semper variae unum solum momentum concipere, tum pictor hoc momentum ad unum solum referre obtutum potest, si opera eorum non modo inspicienda sed etiam contemplanda sunt, diu multumque contemplanda, non dubium est, quin hoc unum momentum, unus ille huius momenti obtutus ita deligenda sint, ut maxima sint ubertate. Nihil autem uber est, nisi quod cogitationem mentemque adeo non coerceat, ut quo diutius adspicias eo plura cogitando adicias, quo plura adicias, eo plura videre tibi videaris. Affectuum autem erumpentium nullum momentum minus hanc habet praestantiam, quam summum rerum discrimen, quo cum nihil sit superius, extremis finibus propositis cogitatio coercetur et cum illo, quod sensus perceperunt, nihil cogitari possit superius, infirmioribus in imaginibus versari cogitur, extremum illum, qui oculis propositus est, finem refugiens.

Quod si Laocoon gemit, clamantem eum cogitatione audimus, si clamat, inde neque altius ascendere neque paulum descendere possumus, quin eum ut minus vexatum ita animos spectantium minus moventem conspiciamus. Nam aut nihil audimus nisi gemitus, aut iam emortuum videmus.

Huc accedit, quod si illud unum momentum artis opera diuturnam assequitur perennitatem, nihil fingere licet, quod nisi tempore praeteriens cogitari non possit. Quas enim res natura ita constitutas iudicamus, ut subito appareant, subito evanescant, ut quales sunt tales ad temporis momentum sint, eae omnes sive iucundae sive terribiles sunt, artis opera in perpetuum retentae tam monstruosae videntur, ut quo saepius intueamur, eo minus moveant animos taediumque tandem horroremque excitent. La Mettrie quidem, qui se alterum Democritum pingendum vel aenea lamina sculpendum curavit, primo tantum intuentibus ridere videtur, quem si saepius intuearis, ex philosopho fatuus fit, ex risu deformis cachinnatio. Idem accidit clamanti. Dolor enim extremus ille, quo eiulatus exprimitur, aut brevi remittitur aut dolentem perdit. Quod si negari non potest, patientissimum et constantissimum quemque nonnunquam clamare, eum tamen constat non continenter clamare. Verum is, qui ab artifice clamans fingeretur, continenter videretur clamare, quod ipsum muliebris videretur esse impotentiae, puerilisque impatientiae. Id certe ab artifice Laocoontem fingente vitandum erat, etiamsi clamare ipsum pulcritudini non nocuisset, artificique dolorem fingendo exprimere licuisset neglecta pulcritudine.

Timomachus quidem inter antiquos pictores summos affectus saepissime videtur pinxisse. Ajax enim furens, Medeaque parricida, quas fecit, inter clarissimas erant picturas. De quibus quae nobis sunt tradita satis demonstrant, eum non ignorasse, qualis sit illa fingendi ratio, qua spectatores summum affectum non tam oculis conspiciant, quam cogitatione adi-

cian, qualesque illae res, quae non tam celeriter praetereant, ut arte propagatae displiceant, hasque cum illa optime coniunxisse. Medeam enim non talem pinxit, qualis erat eo temporis momento, quo infantes trucidavit, sed qualis paulo antea cum materna pietas certavit cum amoris stimulis: Quod certamen quo evasurum sit, cum praesentiamus, iam trepidamus timore perculsi, ne mox crudelem illam conspiciamus Medeam, cogitationeque multo praecipimus quaecumque pictor hoc terribili momento possit monstrare. Qua ipsa de causa perpetuam, quae in pictura apparet animi fluctuationem adeo non aegre ferimus, ut cupimus, Medeam ipsam in hac dubitatione permansisse, certamenque perturbationum aut nunquam in apertum discrimen evasisse aut tamdiu certe non remisisse, donec re denuo consulta et explorata furor fractus esset matrisque pietas superior discessisset. Quam ob prudentiam Timomachus multis iisque summis elatus est laudibus, multumque alii cuidam nescio cui praepositus pictori, qui ea erat imprudentia, ut, cum Medeam summo furore affectam pingeret, perpetuitatem daret huic affectui naturae contrariam. Quam ob causam poëta quidam, eum obiurgans Medeaeque simulacrum ipsum alloquens, „semperne, inquit, liberorum tuorum sanguinem sitis, semperne alter Jason semperne altera Creusa animum tuum exacerbant?“ valdeque iratus addit: „apage te a me vel pictam.“

Timomachi autem Aiace furem ex iis, quae Philostratus tradit, iudicare, possumus, non in greges saevientem, bovesque et arietes, tanquam homines essent, vincientem ac trucidantem apparuisse, sed artifex eum pinxit, ut deliris illis facinoribus peractis lassitudine confectus sederet, consiliumque se ipsum interficiendi caperet. Is revera est Ajax furens, non quod nunc furat, sed quod manifestum est, eum furuisse, quod furor quantus fuerit, maxime ex desperatione ac pudore apparet, quibus ipse afficitur, ut procellam qualis fuerit ex ruinis et cadaveribus ad terram eiectis concludimus.

IV.

Quas attuli causas, ut demonstrarem, cur artifice, qui Laocoontem finxit, in corporis dolore exprimendo modus adhibendus fuisset, animo si complector, omnes ab ipsa artis natura, a finibus necessitatibusque arti impositis petitae sunt. Quare haud scio an ne ulla quidem ex iis ad poëtarum artem sit referenda.

Atque ut omittam, poëtae quatenus contingere possit, corporis venustatem exprimere, id constat, cum infinita perfectissimarum rerum copia imitationi eius permissa sit, hanc, quae oculis cernitur, formam, qua perfecta apparet venustas, unam eamque levissimam esse ex magna rerum abundantia, quibus nos, ut faveamus iis, quas profert, personis, permo-

veat. Quam fieri potest ut neglegat, cum ei persuasum sit, qui favorem nostrum sibi comparaverit agendo, eius virtutibus nos aut tanta affectum iri admiratione, ut nostra ne intersit quidem, quali fuerit corporis forma, aut si intersit, adeo captum iri, ut ei ultro si non pulcram, at non deformem tribuamus corporis formam. Minime autem in singulis omnibus, quae non ad id ipsum proponit, ut cernantur oculis, his quid placeat, poëta inquiret. Vergilii enim Laocoonte clamante cui in mentem venit ad clamorem edendum magno opus esse rictu, eumque rictum deformem esse? Quoniam quod dicit poëta, clamores horrendos ad sidera esse sublato, auribus placet, nihil interest, num placeat oculis. Quod qui cupit, eius animus nihil motus est poëtae virtutibus.

Nihil deinde poëtam cogit, ut quod descripturus est ad unum referat temporis momentum. Unam quamque enim actionem, si placet, ab exordio per varias, quae factae sint, mutationes usque ad finem persequitur. Quarum mutationum quaeque cum ab artifice novum requirat artificium, a poëta paucis absolvitur verbis. Quae si per se cogitationem audientium offenderent, aut iis, quae praecedunt adeo sunt praeparata, aut iis quae sequuntur, adeo mitigantur et excusantur, ut nihil referat, quid per se valeant, cum ceteris coniuncta quam aptissime moveant animos. Etiam si igitur vere sit turpe homini doloribus vexato clamores tollere, quid haec levissima ac celerime praeteriens indignitas ei nocebit, cuius ceterae virtutes animos nostros iam devinxerint? Vergilii quidem Laocoon clamores tollit, sed clamans ille Laocoon is est, quem iam virum bonum prudentia, quem patrem pietate excellentem et cognovimus et dileximus. Quare clamores ab eo sublato non ad animi inconstantiam, sed ad dolorum magnitudinem referimus, qui quam intolerabiles fuerint, et clamore significatur, neque ulla alia ratione significari poterat.

Quis igitur est, qui poëtam reprehendat? Nonne confitendum est potius, poëtam, cum Laocoontem clamantem faceret, non minus recte fecisse, quam artificem, cum eum clamare vetaret?

At narrat haec Vergilius ut poëta epicus. Num quod illi licuit, idem putas licuisse poëtae tragico? Aliter sane afficimur, si narratur de clamore sublato, aliter si sublato ipsi audimus; atque cum histrionum sit, res, quas pictor coloribus, easdem vivo corpore in conspectu ponere, ob id ipsum fortasse poëta tragicus iisdem, quibus pictor, tenetur legibus. Apud eum clamores Philoctetae non solum finguntur, ipsum clamantem Philoctetam et auribus audimus et oculis cernimus. Qua in re quo propius histrio ad similitudinem naturae accedit, eo magis spectatorum et oculi et aures offenduntur, quas quidem offendi nemo est qui neget acutissimos vehementissimosque clamores dolore excitatos percipientes. Huc accedit, quod corporis doloribus misericordia non aequè movetur, atque ceteris malis. Cogitatione enim parum, quales sint, discernimus, quam ut conspectu solo similiter afficiamur, atque is, qui dolet. Nescio igitur an Sophocles, cum et Philoctetam et Herculem non gementes lacrimantesque

solum, sed clamantes et mugientes faciat, non fictam aliquam decori speciem, sed ipsam illam, quae animis nostris infixata est, decori formam laeserit. Nam cum fieri non possit, ut qui circumstant tantopere doloribus eorum commoveantur, quantopere clamores illi immoderati postulare videantur, spectatoribus frigidiores apparebunt, quorum quidem ex misericordia non possumus non metiri nostram. Huc accedit, quod histrio corporis dolores aut raro aut nunquam ita fingere potest, ut veri esse videantur; ac nescio an recentiorum aetatum poetae scenici magis laudandi sint, quam vituperandi, quod hunc scopulum aut prorsus evitabant aut levi tantum navigio circumvehebantur.

Multa sane ratione vix refutari posse viderentur, si non virtute ingenii re ipsa essent refutata. Quamvis enim omnia, quae diximus, rationi non sint adversa, Sophocleus tamen Philocteta semper in perfectissimarum tragoediarum referetur numero. Nam eorum, quae diximus, alia pars non pertinet ad Sophoclem, aliam autem cum negligeret, ad eam progressus est perfectionem, quam ne divinaret quidem timidus existimator nisi hoc exemplo proposito; id quod iis, quae sequuntur, apparebit.

1. Mirum quantum poeta dolorum corpus vexantium formam speciemque auxerit et amplificaverit. Primum vulnere vexatum delegit heroem (singulae enim ipsae res in fabula propositae quodammodo ab ipso delectae videri possunt, cum totam fabulam ob singulas illas, quae ei commodae erant, deligeret) vulnere igitur vexatum delegit, non morbo intestino, quoniam hic, quamvis summos dolores commovens minus perspicue ante oculos poni potest, quam illud. Ardor igitur intestinus, quo Meleager consumebatur aequae ac titio, quem mater fratris caedem ultura flammis tradebat fatalibus, minus fuisset aptus, qui in scenam deferretur, quam vulnus. Huc accedit quod vulnus poena erat divinitus immissa, ut exulceratio non naturali veneno effecta continua esset, vehementioresque soli dolorum impetus paulisper intermitterent, quos sopor sequebatur vires exhaustas reficiens eodem dolore mox exhauriendas. Quam rem Chateaubrun negligit, qui Philoctetam venenata Troiani cuiusdam sagitta vulneratum fingit. Quid autem re tam vulgari effici potest inauditi? Quae cum in veterum bellis cuique posset accidere, qui fieri poterat, ut in Philocteta uno horribilem illum exitum haberet? Quid quod hominem veneno naturali novem per annos artus permanente non necatum esse vero minus est simile, quam quae ad veneni vim augendam mirifica finxit poeta Graecus.

2. Quantoscunque autem et quam terribiles finxit corporis dolores heroem vexantes, non tamen fugit eum, fieri non posse, ut his solis satis moveatur misericordia. Quare eos aliis coniunxit cum malis, quae ipsa per se animos non satis poterant commovere, coniuncta autem cum illis non minus atra tangebantur bile, quam qua ipsa corporis tangebant dolores. Societate enim humana Philocteta Sophocleus prorsus carens fame omnibusque incommoditatibus vexabatur, quibus illa carentes sub tristi coelo vexari solemus. Quibus malis vexa-

tum hominem si statuimus valetudine bona utentem viribusque et ingenio acuto, Robinsonem habemus Crusoën, cuius ut curae nobis est salus, ita non misericordiam movent dolores. Nam raro adeo delectamur societate humana, ut qua frueremur ea privati tranquillitate, ea non alliceremur, spe praesertim, qua nemo non delectatur, auxilio aliorum magis magisque carere nos posse, animis blandiente. Sin hominem vehementissimo insanabilique morbo vexatum finxerimus a sociis circumdatum amicissimis inopiam omnem auferentibus, quantum in ipsis est mala allevantibus, maxima cum humanitate querimonias eiulationesque audientibus, certe quidem misericordia movebimur, sed mox eam dimittentes animis obduratis potentia illum uti iubebimus. Utrumque autem cum concurrat malum, cum is qui societate caret ne sano quidem utitur corpore, cum aegrum neque socius quidam adiuvat neque ipse se potest allevare, cum querimoniae eius in vastas se attollunt auras inauditae, tum demum omni illum, qua homo affici potest, miseria videmus oppressum et quandocumque ipsos nos eadem vexatos fingimus malorum asperitate, horrore perfundimur ac stupore, nihilque nisi abiectissimam relictam videmus desperationem. Nulla autem maior est misericordia, nulla magis perfundit animos, quam quae desperatione videtur mota: Eiusmodi autem est misericordia, qua mentem nostram permovet Philocteta, idque tum maxime, cum videmus eum arcu privatum, quo solo miseram sustentabat vitam. — Quam infirmo igitur iudicio, quam obdurato animo Gallus ille, qui haec neque intellexit, neque sensit, nisi forte tam erat pusilli animi, ut ea, quae sentiret, perverso gentis suae iudicio gratificanda esse putaret. Chateaubrun enim Philoctetae socios dat, cum filiam principis ad vastam insulam statuatur appellentem. Nequa ea sola advenit, sed custodem quandam secum habet morum, quae nescio utrum filiae principis, an poëtae magis opus erat. Scenam igitur praestantem illam, qua quid valeat arcus Philoctetae apparet, omittens aliam addit, qua quid oculorum pulcritudo valeat intelligatur. Nimirum arcus et sagittae validae Francogallorum iuventuti irrisioni fuissent, cui nihil videtur serius esse, quam furor pulcrorum oculorum. Quare cum poëta Graecus nos vexet metu, ne Philocteta miserabilis arcu privatus in deserta insula remanens misere pereat, Francogallus, qua erat animorum commovendorum peritia, metu nos afficit, ne filius Achillis sine puella amata discedere cogatur. Cuiusmodi artibus cum existimatores Parisienses poëtam censerent superatum, unus ex iis Chateaubruni fabulam difficultatem superatam („la difficulté vaincu“) inscribi voluit.

3. Jam postquam totum quid efficiat, intelleximus, singulas videamus scenas, in quibus Philocteta non amplius desertus spem habet triste desertum mox relinquendi in suumque redeundi regnum. Qui cum nullo alio malo nisi gravi vulnere vexatus ne tum quidem desinat eiulare, clamores tollere, vehementissime convelli, his imprimis scenis decorum videtur laesum esse; idque anglico ita videtur homini, in quo non facile falsam suspicari possumus mollitiem, praesertim cum, ut iam diximus, rem suam optimis firmet argumentis. „Om-

„nes, inquit, affectus animi motusque, quos alii non aequè atque ipsi nos sentire possunt, vehementius erumpentes offendunt animos. Quare nihil magis est indecorum, nihil viro magis indignum, quam si quis dolorem vel vehementissimum non patienter ferens lacrimas effundit clamoresque tollit. Sane sentimus quodammodo dolorem ipsi, quo corpus hominis nescio cuius vexatur. Nam si videmus plagam ferri in brachium vel crus hominis, naturali quodam sensu cohorrescimus nostrumque brachium vel crus retrahimus; latamque ipsi sentimus quodammodo. Constat autem malum, quod sentiamus, non ita magnum esse. Jam si quis plaga affectus clamorem tollit vehementem, non possumus quin eum despiciamus, quoniam impetrare a nobis non possumus, ut tam vehementer clamemus, quam iste.“ Nihil fallacius est, quam si praecepta damus de iis, quae sentiuntur, generalia. Ea enim tam delicata tamque complicata sunt, ut vel diligentissima cogitatione vix unum aliquem affectum mere percipere et per omnes transversos persequi possimus. Etiam si vero contingeret, cui id fieret bono? Revera nullus per se existit affectus, cum sexcenti alii una cum illo oriantur, quorum unusquisque, quamvis sit minimus, eum, qui prior erat, prorsus mutat, ut magno exceptionum numero coorto, id, quod posuimus, praeceptum generale ad rem paucis quibusdam exemplis comprobata redigatur. „Despicimus, inquit ille, eum, quem corporis doloribus vexatum clamores tollere audimus vehementes.“ At non unumquemque, neque primo clamantem, non eum, quem, si vexatur, omnibus viribus dolorem opprimere studentem videamus, non eum, quem in ceteris virum constantem cognovimus. Quid? si in ipsis doloribus quali sit constantia, ostendit, si eum clamare quidem dolore vexatum, sed nisi hoc nihil concedere dolori intelligimus, si dolorem diutius perpeti mavult, quam vel minimum mutare cogitationum et consiliorum suorum, quamvis his mutatis dolorem expulsum iri possit sperare. Haec autem omnia sunt in Philocteta. Nam eam, quam veteres ut in immutabili amicorum amore, ita in constanti inimicorum odio ponebant animi virtutem, Philoctetes quamvis maxime vexatus servat. Doloris enim asperitas neque adeo ei exsiccavit oculos, ut sorti pristinorum amicorum non possit illacrimari, neque adeo eum fregit, ut eius abstergendi causa veniam dans inimicis consiliis eorum privatis servire vellet. Hunc virum rupi similem, cui undae, cum percellere non possent, sonos elicuerunt, Athenienses despexerunt? — Fateor, me, ut tota Ciceronis philosophia non multum, ita minime ea, quam secundo Tusculanarum quaestionum libro venditat de dolore perferendo, delectari. In quo tanto cum studio corporis dolorem esse supprimendum docet, ut gladiatores instituere videatur. Nihil enim videt in dolore nisi impatientiam, non respiciens, eum saepe non voluntarium esse, veram fortitudinem iis solis cognosci posse, quae nulla coacti necessitate agamus. Qui cum Philoctetam apud Sophoclem audiat gementem clamantemque, plane obliviscitur, quam forti fuerit ille per totam vitam animo. Quod nisi esset oblitus, sane non habuisset, quod contra poëtas rhetorice declamaret. „Effemant, inquit, animos, quoniam

fortissimos gementes faciunt viros.“ At non possunt eos non facere gementes, quoniam interest aliquid inter scenam et arenam. Gladiatoris sane est condemnati vel vilis omnia cum arte et agere et perferre. Neque licuit ei aut gemitu aures aut convulsionibus oculos offendere. Qui ut et vulneribus et obitu ipso spectatores delectaret, doctus erat doloris dissimulandi artem. Quem si ullo modo significasset, misericordiam excitasset; qua saepius excitata spectaculis illis frigidis et crudelibus mox finis esset factus. Jam quoniam quos in his excitare non licuit affectus ut excitaret, tragoediae solum fere erat propositum, artifex scenicus prorsus contrariam sequebatur rationem. Heroibus enim tragicis neque sensu carere, neque dolores dissimulare licuit, naturam debebant sequi. Qui si condocefacti quod sentiunt dissimulare videntur, animos non possunt movere, cum gladiatores cothurnati nullum affectum excitent nisi admirationem. Quo nomine digni sunt omnes personae, quae prodeunt in tragoediis, quae nominantur, Senecae. Ac mihi quidem persuasum est, ludis gladiatoriiis imprimis effectum esse, ut Romani in tragoedia ne mediocrem quidem assequerentur eventum. Omnem enim spectatores deponerent humanitatem in cruentis illis amphitheatrorum ludis, unde Ctesias fortasse, non Sophocles artem suam petere poterat. Quo factum est, ut poëtae in tragico genere excellentissimi ipsi, his assueti cruentissimis spectaculis ad verborum tumorem adducerentur ac pompam. Quae ut ad veram virtutem non possunt inflammare, ita Philoctetae querelae animos non possunt effeminare. Philocteta enim ut querimonias emittit homine non indignas, ita res gerit viro fortissimo accommodatissimas. Utroque autem coniuncto efficitur heros humanus, qui, quamquam non est aut effeminati aut obdurati animi, tamen modo huius, modo illius prae se fert speciem, modo naturam, modo praecepta sua officiumque sequens. Qua in re summa, quam vel sapientia excogitare, vel ars imitari potest, cernitur perfectio

4. Tantum autem abest, ut Philocteta Sophocleus ob molliores affectus contemtionem tradatur, ut quaecumque ei existimatorem illum britannicum sequentes obicere possimus, irrita sint. Quamquam enim eum non semper despiciamus, qui corporis doloribus vexatus clamores edat, negari tamen non posse videtur, non ea nos commoveri misericordia, quae clamoribus illis respondeat. Quomodo igitur illos putas se gerere potuisse, qui una cum Philocteta clamante versarentur in scena? Maximane se simularent commotos misericordia? At id esset contra naturam. An tam immotos tamque quomodo se gererent inscios se ostenderent, quam in talibus rebus solemus esse? At id spectantium maxime offenderet animos. Iam vero huic ipsi rei, ut supra diximus, per Sophoclem occursum est. Nam cum ii, qui secundas partes agunt, suis quisque afficiantur animi motibus, neque solo Philoctetae clamore moveantur, spectantes non tam id curant, quantum eorum misericordia ab hoc clamore discrepet, quam quomodo illorum affectus et consilia misericordia, sive magna sive parva, vel revera varientur vel variari debeant. Neoptolemus enim chorusque cum mise-

rum decepissent Philoctetam, iam intellegunt, quantam in desperationem ille praecipitetur ipsorum fraude; iam cum coram ipsis terribilis morbi vis illum invaderet, haec tentatio eos si non ita magna afficere misericordia, at movere debebat, ut ad poenitendum acti tantamque verentes miseriam proditione eam nollent augere. Quae spectantium spes certe non falsa est per ingenuum Neoptolemum. Qui, si Philocteta dolores potuisset opprimere, nescio an simulationem servasset, cum autem Philocteta, il quod maxime ei videbatur necessarium, ne futuros itineris socios poeniteret eum secum auferre, dolorem dissimulare non posset, ab hoc naturam sequente ipse revocatur ad suam naturam. Quae voluntatis commutatio optima, eoque magis animos commovens, quod sola effecta est misericordia, apud Francogallum istum iterum oculorum pulcritudine fit. Quamquam diutius in depravata illa rei immitatione haerere nolo. Eadem arte cum misericordia clamoribus corporisque doloribus movenda in circumstantium animis alium affectum coniungendi Sophocles in Traehiniis quoque usus est. Qua in fabula cum Hercules doloribus non sit enervatus, sed ad eam actus insaniam, ut ultionis cupidissimus Licham comprehensum ad saxa allideret, chorus feminarum non potest timore horroreque non percelli. Quibus affectibus motae cum dubitarent, utrum futurum esset, ut Hercules dei auxilio servaretur, an malo hoc opprimeretur, his rebus omnium animi ita erant occupati, ut misericordia modice tangerentur. Deinde ubi oraculis comparatis, qualis rei exitus futurus esset, apparuit, Herculis furore sedato caeteri affectus expelluntur admiratione extremi, quod capit, consilii. Caeterum Herculem si comparamus miserum cum misero Philocteta non omittendum est, illum fuisse heroem, hunc hominem. Hominem enim nunquam pudet querelarum, pudet heroem, quod mortalis eius pars immortalem adeo superaverit, ut puellae similis ploraverit et eiulaverit. Jam quamquam nostra aetate heroes esse negamus, viros tamen vel mediocris fortitudinis et sentiendo et agendo heroibus similes esse volumus.

Quod autem disputant, num histrio clamorem dolorisque convulsiones ita possit imitari, ut vere videatur dolere, neque negare neque affirmare audeo. Quod si nostris id minus contingeret, quaerendum esset, num ne Garrik quidem id efficere potuisset, sin ne huic quidem contingeret, apud veteres tamen theatrorum apparatus declamationemque ea perfectione fuisse liceret animo fingere, quam hodie ne mente concipere quidem possemus.

V.

Sunt quidam antiquitatis existimatores, qui Laocoontis statuam a Graecis quidem fictam esse artificibus putent, sed imperatorum demum aetate eam ortam esse existiment, quia Vergilianum Laocoontem exemplo illis fuisse censebant. In quibus ex prioribus Bar-

tholomaeum solum Marlinianum, ex recentioribus Montfauconem affero. Quibus quidem artificis opus poëtaeque descriptio sine dubio adeo inter se videbantur congruere, ut fieri potuisse negarent, ut uterque casu quodam fortuito eadem forma fingendi esset usus, quae nullo pacto ultro occurreret. Quae utrum a poëta, an ab artifice esset inventa ac prius cogitata, si quaereretur, illi palmam dandam esse putabant.

Quos quidem tertium, quod factum esse potest, fugisse videtur. Fieri enim potest, ut neque poëta artificem neque artifex poëtam sit imitatus, sed ut uterque eodem fonte veteriore usus sit. Qui, si Macrobius sequimur, apud Pisandrum fuisse videtur. Cuius opera cum exstabant, pueris decantatum erat, romanum poëtam omnem expugnationem eversio-nemque Troiae, quae librum secundum faciant, non tam illum secutum descripsisse, quam ad verbum ex Graeco illo in latinum sermonem vertisse. Quod si Pisandrum Vergilius in Laocoontis etiam rebus describendis secutus est, non erat quod graeci artifices poëtam latinum imitarentur, et quae de eorum aetate coniiuntur, irrita sunt.

Quamquam si Marliani et Montfauconis sententia mihi esset defendenda, ita difficultatem effugerem. Pisandri carmina quomodo Laocoontis rem enarraverint, cum illa sint deperdita, quamquam pro certo affirmari non potest, vero tamen simile esse videtur, eadem ratione eam ab illo esse enarratam, cuius vestigia etiam nunc apud graecos scriptores exsistent. Quae cum nullo pacto cum Vergiliana congruant descriptione, quae a Graecis tradita erant ex romani poëtae arbitrio transformata esse apparet. Is igitur Laocoontis calamitatem eam narrat, qualem ipse invenit; Sequitur, ut artifices, si de fingendi ratione cum eo consentiunt, non possint nisi post eius aetatem fuisse, neque alium secutum esse, nisi ipsum.

Quintus quidem Calaber Laocoontem eadem, quae Vergilius, de equo ligneo suspicantem facit, sed Minervae ira, quam ille hac re excitat, apud illum longe aliter exardescit. Solum enim sub pedibus Troiani, ut caveant monentis, contremiscit, terror pavorque eum invadunt, oculi dolore acri afficiuntur, cerebrum concutitur, furit, occaecatur. Atque tum demum, cum occaecatus nondum desinit monere, ut ligneum equum comburant, Minerva horridos duos dracones mittit, qui quidem infantes eius solos arripiunt. Nequidquam illi supplices manus ad patrem tendunt, qui caecus ac miser opem iis ferre non potest; Quibus dilaceratis dracones sub terram elabentes Laocoontem ipsum ne tangunt quidem, quod ipsum non a Quinto inventum, sed ab omnibus ita traditum fuisse ex loco quodam Lycophronis constat, quo dracones illi infantium interfectores dicuntur.

Iam si illud vulgo tradebatur apud Graecos, graeci artifices hanc traditam deserere narrationem non facile essent ausi, neque facile accidisset, ut eam deserentes eadem fingendi ratione essent usi, qua poëta romanus, si hunc ignorassent, nisi forte ut eum imitarentur praescriptum mandatumque erat.

Hac in re puto persistendum ei, qui Marliani et Montfauconis sententiam defendere velit. Vergilius igitur primus solusque et patrem et filios a draconibus necatos facit, at qui sculptores rem eadem fingunt ratione, id quod, quoniam Graeci erant, facere non debant: ergo verosimillimum est, eos secutos esse Vergilium auctorem.

Iam quamvis sentiam, quantum absit, ut haec res, quam vero similem habeo, historiae fide sit comprobata, tamen, quoniam nihil quod ad historiae fidem pertineat, inde concludere volo, eam mihi concessam iri puto coniecturam, unde existimator in re percensenda proficisci possit. Sive comprobatum est, sive non comprobatum, sculptores Vergilium imitados esse, sumam pro certo, ut intelligamus, quomodo eum sint imitati. De clamore autem quid sentiam, iam antea dixi. Iam si perrexerimus in comparatione, nescio an res, quae dicantur, non minus dignas exploremus.

Atque illud quidem, quod pater cum filiis serpentibus illis mortiferis in unum complexus fingitur nodum, optime excogitatum ac summi esse ingenii, quis est qui nesciat? Jam utri illud debemus? poëtaene an artificibus? Montfaucon quidem apud poëtam tale quid legi negat, at Montfauconem puto non satis attente legisse haec, quae sunt apud Vergilium:

— — — — illi agmine certo
 Laocoonta petunt, et primum parva duorum
 Corpora natorum serpens amplexus uterque
 Implicat, et miseros morsu depascitur artus.
 Post ipsum, auxilio subeuntem et tela ferentem
 Corripiunt, spirisque ligant ingentibus.

Serpentes, quos mira longitudine poëta describit, pueros implicaverunt. Quibus implicatis cum pater auxilio veniret, hunc quoque corripientes, qua erant longitudine, amplexus quibus pueros implicaverant, non statim relaxare poterant, ut eodem tempore, quo patrem iam petiverant capitibus et superioribus corporis partibus, posterioribus pueros etiamtum implicatos tenerent. Quod temporis momentum poëtae ad amplificandam rem necessarium eius animo esse obversatum, his quoque versibus satis indicatur, quamquam rem accuratius depingendi tempus deerat. Quod ab antiquis poëtae interpretibus esse observatum cum ex Donati quadam annotatione intelligere possimus, multo minus artifices id fugisse putandum est, quorum acies facillime et sagacissime, quae usui sibi esse possint, detegere solet.

Amplexus ipsos, quibus serpentes Laocoontem implicabant, magna prudentia tales describit poëta, ut brachia manusque non impedita libere possint moveri, cum dicat:

Ille simul manibus tendit divellere nodos.

In quo artifices eum sequi opus erat. Quid enim efficacius, quid significantius esse potest manuum agitatione, sine qua ne optime quidem expressa oris lineamenta animi affectum satis patefacere possunt, ut, si brachia serpentium amplexu impedita ad corpus

astrieta viderentur, tota statua vigore careret et alacritate. Quare et Laocoontis et filiorum brachia in artificio multum iactata ad eamque versa corporis partem videmus, in quantum dolor erat ardentissimus.

Nihil autem aliud quam hanc liberam brachiorum iactationem artifices aptum iudicabant, quod in nodis serpentium circum corpora circumplicandis a poëta mutuarentur. Nam cum Vergilius serpentes duplici complexu et ventrem et collum Laocoontis implicantes faciat, ut capite et cervicibus altis superent, his versibus:

Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.

haec implicatio optime occupat cogitationem nostram, quoniam maxime necessarias corporis partes pressas strangulatasque videmus, monstraque viro spumato faciem ipsam petunt.

Nec tamen ea artificibus convenit, virus dolorque quomodo corpora vexent, demonstraturis. Quod ut appareat, praecipuae corporis partes quam maxime apertae, neque ulla externa re pressae erant fingendae, qua re nervorum musculorumque laborantium motus vel mutari vel infirmari poterant. Duplices autem illi serpentium nexus totum ventrem operientes contractionem eius, quae doloris asperitatem optime exprimit, obtegerent, et quantum corporis vel supra nexus vel infra vel inter eos conspici potuisset, pressum inflatumque appareret pondere externo, non intestino dolore. Dupliciter porro implicatum collum prohiberet, quominus statua in pyramidis fastigaretur formam, quae oculos maxime delectat, atque serpentium capita ex mole amplexuum libere erecta adeo non convenirent oculorum mensurae, ut forma totius statuæ eos quam maxime offenderet. Nihilo tamen minus erant qui Laocoontem filiosque delineantes adeo carerent iudicio, ut omnia a poëta repeterent lineamenta. Qua ex insipientia quid sit natum, cum ex aliis tum ex tabula quadam Francisci Cleyni taedio affecti cognoscimus. Quod statuarii veteres uno oculorum obtutu perspicientes, pro natura artis suae rem plane aliter esse fingendam, nexibus a ventre colloque amotis crura pedesque circumligabant. Quibus quantum opus esset tectis et pressis cum corpus non deformaretur, iisdem amplexibus fuga retardata significabatur et ea immobilitas, qua conditionis miserabilis perpetuitas apparuit.

Haec manifesta sculptorum et poëtae in nexibus serpentium discrepantia, ut a criticis silentio sit praetermissa, nescio qui fieri potuerit. Ea enim non minus quam alia illa, quam cum omnes sentiant, non tam laudant, quam excusare tentant, quanta fuerit artificum sapientia demonstrat, discrepantiam dico vestimentorum. Apud Vergilium enim Laocoon ornatus vestitus est sacerdotali, in statua cum ambobus filiis nudus conspicitur. Iam esse dicuntur, qui id ineptum habeant, quod regis filius idemque sacerdos in sacrificio nudus fingatur. Quibus alii, qui artis periti sunt, id quidem mori tradito esse contrarium concedunt, maxima autem gravitate artifices, ut illum neglegant coactos fuisse contendunt, quo-

niam non habuissent, quo personas decenter vestirent. Sculptores aiunt, cum vestitum imitari non possint, quoniam rugae sinusque non habeant, quo delectent, ex duobus malis minimum optantes morem traditum negligere maluisse, quam vestimentis sculptis oculos offendere. Iam si quod illi contendunt veteribus risui fuisset artificibus, animo fingere non possumus, quid de horum excusatione iudicassent, quo nihil est, quod magis de arte detrahat. Nam ut fingendi ars vestimenta texta non minus possit imitari, quam ars pingendi, num ea de causa Laocoon vestitus erat pingendus? nihilne pulcritudinis his vestimentis nobis occultaretur? Num vestis servorum manibus fabricata eadem floret pulcritudine, qua divina sapientia constructum corpus humanum? Num facultas, meritum, honor eadem sunt sive illam sive hoc imitamur? Nihilne spectamus nisi ut oculi decipiantur, nonne unquam curamus, qua re decipiantur?

Quum vestimenta apud poëtas non sint velamenta adeoque nihil occultent, ut cogitatione nostra penitus perspiciamus, Laocoontis dolores apud Vergilium, sive vestitus est, sive caret vestimentis, in quaque corporis parte aequae conspicui sunt. Neque vitta sacerdotalis cum frontem obtegit, non velet, impedimento est, sed quam animo cepimus dolorum cogitationem eam auget atque amplificat. Nam

Perfusus sanie vittas atroque veneno

ne sacerdotali dignitate quidem defenditur Laocoon, insigne ipsum, quod omnes religione prosequi solent ac veneratione, veneno sanieque madidum profanatur.

Hac autem secundaria re artifex uti non potuit, ne negligeret primariam. Qui etiam si nullo alio usus esset velamento nisi vitta, hac ipsa iam argutias vultus aliquantum infirmasset. Frontem enim velasset, quae sedes est argutiarum. Ut igitur in clamorum mitigatione argutias operis pulcritudini, ita hac in re vultus argutiis postposuit id quod usitatum erat. Quod quidem omnino non adeo respiciebant artifices antiqui, sentientes pulcritudinem, quae quidem una in artificibus componendis spectanda sit, illis rebus carere posse. Nam vestes ex vitae necessitate ortae sunt, quid autem arti commune cum vitae necessitate? Quamquam est sane vestimentorum etiam pulcritudo quaedam, sed eam cum pulcritudine corporis humani comparari posse nego. Num igitur putas, eum, qui maiora adipisci possit, in inferioribus esse acquieturum? Mihi quidem perfectissimus vestimentorum sculptor hac ipsa perfectione, quantum a perfectione artis distet, videtur proderi.

VI.

Quod posui artifices poëtam esse imitatos, illis adeo non est opprobrium, ut hac ipsa imitatione sapientia eorum quam maxime eluceat. Poëtam enim ita sequebantur, ut nulla

in re ab eo seducerentur. Sequebantur quidem exemplar propositum, sed, cum ita imitarentur, ut exemplar ex altera transferrent in alteram artem ingenio carere non poterant. Tantoque ingenii acumine in iis rebus, in quibus a poëta recesserunt, utebantur, ut nemo eos in sua arte inferiores habere posset, quam illum in sua.

Iam contrarium ponamus, poëtam imitatum esse artificem. Neque desunt viri docti, qui id pro certo habent. Qui quamquam res historiae fide non est comprobata, tamen artificium, quod ob eximiam pulcritudinem recentiore natum esse aetate, persuadere sibi non poterant, ei adscribebant aetati, qua ars maxime florebat, nulla alia de causa, quam quod ea dignus est.

Antea cum demonstratum sit, in descriptione Vergiliana, quamvis maxime perfecta, esse quasdam res, quas imitari artificibus non liceret, iam apparet, eorum sententiam certis finibus esse circumscribendam, qui dicant, perfectissimam quamque descriptionem poëticam ab artifice integram in suam transferri posse artem, remque a poëta perfecte non esse descriptam, nisi artifex eum omnibus in rebus possit sequi. Quod ita esse iam, priusquam exemplis probatur, suspicari licet cogitantibus, artis poëticae fines omnino latius patere, cum neque cogitatio neque mens ullis circumscribi possit limitibus, ut imagines, quas proferunt maxime pellucidas, summa multitudine et varietate alia iuxta aliam positae ipsae sibi non officiant neque inter se obscurent, id quod vereor, ne res aut ipsae aut e naturali fictae materia angustis et spatii et temporis limitibus compressae faciant.

Iam vero angustior res quamquam latiore non potest capere, in ea ipsa tamen contineri potest. Quamvis igitur non omnia, quae poëta bene invenit, eundem habent effectum, si tabula pinguntur vel marmore exprimuntur, negari tamen non potest, omnia, quae in artificii placeant, displicere non posse in poëtae carmen translata. Nam de pulcritudine artificiorum non ipse oculus iudicat, sed cogitatio nostra oculo utens quasi instrumento. Eadem igitur imago in cogitationem nostram incidens, sive poëta verbis sive artificis opere expressa, eandem affert delectationem, quamvis non pariter vehementem.

Quod si conceditur, quod discunt, Vergilium imitatore fuisse artificem, id multo minus videtur verosimile, quam sententia contraria. Nam si artifices poëtam sunt secuti, nihil eorum, in quibus ab eo recedunt, non certis quibusdam causis potest explicari. Recedere debebant, quoniam quae poëta invenit, ut in carmine commoda erant, ita incommoda in artificio. Poëta autem cur recesserit ab artifice? nonne si eum omnibus in rebus fideliter esset secutus, pariter eximiam protulisset descriptionem?

Facile quidem intelligo, quomodo haec atque illa cogitatio animo poëtae rem volente concipi potuerit, id tamen, cur ea, quae bene inventa ab artifice oculis conspexit, mutanda aliterque fingenda esse iudicaverit, comprehendere non possum.

Ipsam illam trium corporum complexionem in unum nodum Vergilius, opinor, ut coniectura tantum divinandam relinqueret, vix a se impetrare potuisset, si artificum opus imitandum sibi proposuisset. Oculum enim illa poëtae vehementius affecisset, quid ea valeret, tanta voluptate ipse sensisset, ut eam non potuisset non diligentius describere. Tempus sane, ut antea dixi, defuit eam accuratius illustrandi, sed nescio an uno verbo addito quamvis pro artis finibus adumbrata aliquanto tamen magis esset illustrata. Neque quod artifex sine illo verbo in carmine detexit, id poëta in artificio si conspexisset, ipso illo verbo non clarius expressisset.

Iam vero artifex gravissimis commovebatur causis, ne dolores Laocoontis in vehementem vociferationem erumpentes faceret. Quod si poëta, quantum dolor cum venustate coniunctus animos moveret, in artificio vidisset, quid eum maxime compulisset, ut virilis constantiae magnanimaeque patientiae speciem, quae ex dolore cum venustate coniuncto oritur, adeo non significaret, ut animos repente saevo Laocoontis clamore terreret. Richardson quidem dixit: Vergilianum Laocoontem non posse non clamare, quoniam poëta non tam misericordiam excitare, quam terrorem pavoremque inicere Troianis voluerit. Concedo, quamquam Richardsonem videtur fugisse, rem non ab ipso poëta describi, sed narrari descriptam Didoni per Aeneam, cuius intererat illius misericordiam quam plurimum commovere. Neque clamor ipse me offendit, sed subitus eius accessus sine ulla praeparatione audientium, quam poëta non neglexisset, si artificium ei, id quod posuimus, ante oculos fuisset positum. Iam si Richardson addit, non licuisse poëtae historiam Laocoontis, quippe quae magnificam vastatae tandem urbis descriptionem praepararet, magis amplificare et ornare, ne animi, quae toti in saevitiam ultimae illius noctis essent convertendi calamitate singuli cuiusdam civis confunderentur, rem pictoris ratione intuetur, qua non est intuenda. Nam cum apud poëtam Laocoontis calamitas et vastata urbs non simul narrentur, neque ita in unum coalescant, ut uno obtuto comprehendi vel possint vel debeant, non est timendum, ne oculi nostri illa magis, quam hac teneantur. Quarum rerum descriptiones cum altera alteram sequatur, non intelligo, quid noceat alteri, quantumcunque ea, quae praecedit, animi nostri sint commoti, nisi forte illa per se non satis apta est ad animos permovendos.

Quid vero poëtam adducere potuisset ad nexus serpentium variandos? Qui cum in artificio manus agitent liberas, implicent pedes, id non solum oculis placet, sed imago cogitationi impressa magnum habet vigorem, tam perspicua, tam clara est, ut verbis non minus apte exprimi possit, quam naturali materia. Quam cum Sadolet describat his verbis:

— — — micat alter et ipsum
Laocoonta petit, totumque infraque supraque
Implicat et rabido tandem ferit ilia morsu.
— — — — —

At serpens lapsu crebro redeunte subintrat

Lubricus, intortoque ligat genua infima nodo.

Vergilius eam sine dubio magis etiam verbis amplificasset, si quam oculis conspexit statuae pulcritudinem cogitationem eius excitasset. Multo puto elegantioribus verbis rem ab eo fuisse descriptam, quam quae legimus his versibus:

Bis medium amplexi, bis collo squamea circum

Terga dati, superant capite et cervicibus altis.

His sane cogitatio nostra occupatur, modo ne diutius in iis versans rem clare fingere sibi conatur; modo serpentium flexus modo Laocontem, hos atque illum separatos sibi proponat non quaerens, qualem figuram coniuncti efficiant. Quos simulatque coniungit, Vergiliana descriptio ei displicere incipit, indignaque videtur, quae a pictore fingatur.

Etiam si vero Vergilius formas exemplo sibi propositas non inepte mutasset, ad arbitrium tamen fecisset. Nam nulla alia de causa res propositas imitamur, quam ut similia fugamus; atqui similitudinem assequi non possumus, si mutamus quae non necessario sunt mutanda. Quod si facimus, apparet noluisse nos res similes fingere i. e. non esse nos imitatos.

Dixerit fortasse quispiam, quamvis concedendum sit, non in toto opere Vergilium vestigia artificum secutum esse, quibusdam tamen id factum esse partibus. At quae sunt singulae illae partes, in quibus poetae descriptio cum artificum opere adeo congruat, ut ille hoc imitatus esse videatur? Patrem, liberos, serpentes poeta aequae atque artifex rerum memoria traditos accepit. Praeter ea autem, quae memoria sunt tradita, nulla in re consentiunt, nisi quod et infantes et pater uno serpentium nexu implicantur. Id autem sponte videtur obortum in animo eius, qui, id quod sane non novum est, patrem eadem calamitate finxit affectum, qua liberos. Id autem a Vergilio primo excogitatum videri, antea iam commemoravimus. Graeci enim quae tradiderunt aliter se habent. Hanc rem igitur, si ab uno alterove non potest esse ficta nisi per imitationem, verosimilius est artifices esse mutuatos a poeta, quam hunc ab illis. Iam cum in ceteris alter discrepet ab altero, discrepantia ea est, ut, si ab artifice sit orta, quoniam natura finibusque artis potest esse effecta, non sit cur negemus artificem imitatum esse poetam, sin a poeta, fieri non possit, ut poeta ita discrepans secutus sit artificem. Quod qui nihilominus contendunt, nihil volunt, nisi contendere, artificium priore aetate esse ortum, quam poetae descriptionem.

(Reliqua sequentur.)

